

---

 DISSERTATIO II.

## De Revelatione divina.

REVELATIO est veritatis alicujus externa manifestatio, à Deo facta. De ea quatuor erunt capita: in 1<sup>o</sup>. an possibilis; in 2<sup>o</sup>. an necessaria sit, expendemus; in 3<sup>o</sup>. de modo quo sese gerere quisque debeat in Religionis revelatæ inquisitione; in 4<sup>o</sup>. de veræ revelationis signis et characteribus disputabitur.

---

 CAPUT PRIMUM.
*An possibilis sit Revelatio.*

CONTENDUNT omnes ferè Deistæ non posse Deum revelare, nisi quod ratio naturalis, exploratis intimis rerum principiis, verum demonstrat. Idcirco quidquid ratione non attingunt, ac proinde Mystera rejiciunt omnia, et potuisse à Deo revelari pernegant.

## PROPOSITIO.

*Deus potest quædam revelare dogmata, supra rationis humanæ captum posita, sive mysteria, utque iis fidem adhibeatur exigere.*

Probatur 1<sup>o</sup>. Ex supremo Dei in omnes creaturæ rationalis facultates dominio. Quisquis Deum agnoscit, à quo, quidquid facultatis habent, homines acceperint, simul agnoscere debet summum Dei in omnes hominis facultates imperium: Deus enim non potest in suum opus dominio sese exuere:

atqui inter facultates hominis eminent ratio, quæ ceteras non ideo regit et moderatur, ut suum in Creatorem sit rebellis; ergo Deus supremum habet in rationem humanam imperium; ergo illud exercere potest, ac proinde quædam revelare dogmata supra rationem humanam posita, eorumque fidem exigere.

Prob. 2<sup>o</sup>. Humanam intelligentiam angustis limitibus circumscribi ita certum est, ut nihil sit in tota philosophia magis exploratum: ratio igitur humana non potest ea omnia attingere, quæ Deo comperta sunt: plurimas proinde veritates cognoscit Deus nobis occultissimas, et lumini naturali impervias; eas ergo potest nobis Deus revelare, ipsarumque fidem exigere.

Prob. 3<sup>o</sup>. Qui ab ortu cæcus aliis hominibus fidem denegaret in his quæ de coloribus referunt, nonne ridiculus haberetur? Atqui tamen nullas colorum ideas habet. Varios igitur existere colores non credit, nisi quia id ipsi testantur ceteri homines. Jamverò si quis ab ortu cæcus, aliis hominibus fidem adjungere debeat in iis quæ mente non percipit, quis sanus fidem neget Deo esse adhibendam, cum ea dogmata revelat, quæ hominis intelligentiam fugiunt? Si hominum testimonio credere oporteat, numquid Deus cum ratione humanâ tyrannicè agere censendus est, quando præcipit, ut iis Mysteriis firmiter adhæreat, quæ divino ipsius testimonio nituntur?

Prob. 4<sup>o</sup>. Si Deus non posset homini dogmata revelare, quæ humanam superant intelligentiam, eorumque fidem exigere, maximè quia contra rationem esset ea credere, quæ supra ipsam posita sunt: atqui id falsum esse demonstrat communis hominum agendi ratio. Quot enim sunt in ordine naturali veritates, quibus omnes homines, ne ipsis quidem exceptis adversarii, assentiunt, quamvis intima earum natura humanam intelligentiam prorsus lateat. Quâ de re audiamus illustrissimum Archie-

piscopum Lugdunensem in eximio Pastoralis Documenti de Religione. *Tout dans l'univers est plein de vérités, qui sont en même temps indubitables et incompréhensibles : la lumière si admirable dans ses mouvemens ; l'air, ce fluide si agissant et si terrible dans la plupart de ses phénomènes ; le feu si redoutable dans ses effets, et si caché dans son essence ; les principes des élémens, la variété prodigieuse de leurs combinaisons ; le lien qui unit en nous deux substances si différentes ; et tant d'autres merveilles de la nature, doivent réprimer la présomptueuse confiance de l'esprit humain, et le convaincre pour jamais de sa foiblesse... Mais si dans l'ordre de la nature, il se rencontre des barrières que tous nos efforts ne sauroient franchir, faut-il s'étonner que dans un ordre plus élevé, qui est celui de la révélation, il se trouve des vérités au dessus de notre foible intelligence ? (Edit. in-4<sup>o</sup>. pag. 136.)* Ergo contra rationem non agit, quæ credit, quæ supra rationem posita sunt; ergo potest Deus, etc.

*Solvuntur objecta.*

Obj. 1<sup>o</sup>. Deus non potest sibi contradicere: atqui sibi contradiceret, si dogmata supra rationis captum posita revelaret, illorumque fidem exigeret; ergo Deus non potest, etc.

Resp. Neg. min. Neddum sibi contradicat Deus mysteria revelando; quorum fidem exigit, suam è contrario sapientiam demonstrat. Duobus enim potissimum vitiis laborat genus humanum; superbiâ, vanâque curiositate. Hinc ortum habuerunt primorum parentum lapsus et infelicitas. Inde manarunt tot errores, in quos turpiter impegerunt ipsimet Philosophi. His autem vitiis efficacius mederi, ingenitamque homini superbiam reprimere non potuit Christus, quam mysteria rationi inaccessa revelando, quam stultam faciendo hujus mundi sapientiam, ita ut in Religione docti et indocti pares essent et æquales.

Præterea Christus, dum mysteria ab humano ingenio remotissima nobis credenda proposuit, exercendæ fidei nostræ, Deoque integrum obsequium exhibendi locum dedit. Etenim si nihil in Religione esset, quod non intelligeremus, nostram quidem obedientiam testari possemus, præceptis rationi accommodatis parendo; sed defuisset occasio intellectum nostrum fidei jugo subjiciendi, superbamque rationem autoritati divinæ submittendi; quod præstamus, cum Deo mysteria revelanti obsequiosè fidem adjungimus.

Denique revelatio variis humani ingenii erroribus occurrit, hominemque à turbulentis oppositarum opinionum fluctibus eximit, dum tutissimam ipsi monstrat viam, quæ veritatem certò assequatur; ergo revelatio summam Dei sapientiam probat, nullamque involvit contradictionem.

Inst. Ille sibi contradicit, qui rationem homini concedit, illiusque usum interdicit: atqui sic ageret Deus mysteria proponendo credenda; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Dum enim jubet Deus mysteriis à se revelatis fidem adhiberi, id unum præcipit, ut nempe suo auctori, summæque veritati sese ratio subjiciat: atqui in ea re nihil est quod prudentem rationis usum adimat. In eo quippe potissimum situs est legitimus rationis usus, ut supremo suo Domino docilem et obsequiosam sese præbeat, cum aliquid ab ipso revelatum esse certò noverit. Eæ sunt itaque rationis partes, ut argumenta externa quibus nititur revelatio, facta scilicet, testimonia, miracula excutiat. Ubi autem, iis diligenter excussis, compertum erit Deum aliquid revelasse, tunc illud religiosè amplecti debet; non verò intimum mysteriorum naturam sibi imperviam curiosius rimari.

Philosophos igitur sic compellere licet cum Oratore, qui anno 1755 Eloquentiæ præmium obtinuit in Academia Parisiensi: *Ne vous agitez point contre ces mysteres que la raison ne sauroit percer.*

Attachez-vous à l'examen de ces vérités, qui se laissent approcher, qui se laissent en quelque sorte toucher et manier, et qui vous répondent de toutes les autres. Ces vérités sont des faits éclatans et sensibles, dont la Religion s'est comme enveloppée toute entière, afin de frapper également les esprits grossiers et subtils. On livre ces faits à votre curiosité. Voilà les fondemens de la Religion. Creusez donc autour de ces fondemens; essayez de les ébranler; descendez avec le flambeau de la philosophie, jusqu'à cette pierre antique, tant de fois rejetée par les incrédules, et qui les a tous écrasés: mais lorsqu'arrivés à une certaine profondeur, vous aurez trouvé la main du Tout-puissant, qui soutient depuis l'origine du monde, ce grand et majestueux édifice, toujours affermi par les orages mêmes, et le torrent des années, arrêtez-vous, et ne creusez pas jusqu'aux enfers.

Obj. 2°. *Mysteria sunt supra rationem; ergo et contra rationem, ac proinde ea Deus revelare non potest, neque ipsorum fidem imperare.*

Resp. Neg. conseq. 1°. Quia illud supra rationem positum dicitur, quod à mente humana cognosci non potest; id verò contra rationem est, quod repugnare percipitur: atqui hæc duo maxime discrepant, ut patet.

2°. Ex principio quod refellimus sequeretur intellectum humanum suis in cognitionibus ab intellectu divino non differre: si enim quidquid est supra, sit etiam contra rationem, dicendum erit humanam intelligentiam esse omnis cognitionis veluti mensuram, et nullas admittendas esse veritates, nisi quæ intelligentiæ nostræ accommodantur: atqui, hoc posito, intellectus divinus humano non præcellit, nec quidquam cognoscere potest, quod rationem nostram superet: quo in consecratario quantum sit impietatis et superbiæ, nemo non intelligit.

3°. Si quidquid rationi inaccessum est, ipsi contrarium sit, de Religione etiam, quam *naturalem* vocant

vocant *Deistæ*, et cui soli in hærent, actum erit et conclamatum; Deum enim admittit æternum, qui nec initium habuit, nec finem est habiturus; Deum immensum, qui scilicet nullo circumscibitur loco, et ubique præsens adest: atqui tum æternitatis, tum immensitatis diviniæ natura humani ingenii vim et sagacitatem fugit. Præterea Religio quæ dicitur *naturalis*, Deum agnoscit liberum simul et immutabilem: atqui tamen utriusque illius perfectionis concordia et concentus, omnes Philosophorum conatus eludit. Religionem igitur omnem, ne eâ quidem exceptâ, quam *naturalem* vocitant, abjiciant *Deistæ*, si quidquid rationis captum transcendit, rationi adversetur.

Denique negent *Deistæ* motum existere; negent materiæ tum electricæ, tum magneticæ mira phenomena; negent animalia generari, arbores et plantas vegetare: horum enim omnium et aliorum, vel naturam vel modum ratione assequi non possumus.

Inst. Ea sunt contra rationem, quæ impugnantur argumentis insolubilibus: atqui *mysteria*, etc; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Si illa argumenta ex evidenti contradictione oriuntur, conc. maj. si ex intelligentiæ nostræ limitibus, et mysteriorum sublimitate, nego maj. dist. pariter min.

Porrò quæ mysteriis opponuntur difficultates, ex angustiis intelligentiæ nostræ finibus, et mysteriorum altitudine ortum habent; minimè verò ex evidenti contradictione. Eam quippe in dogmatibus revelatis adesse, quo pacto statui potest? Ad illud rectè pronuntiandum, necesse foret ut claras mysteriorum ideas haberemus; quis autem *Deistæ* dicere ausit, sibi liquidas mysteriorum notiones affulgere, eaque clarè à se percipi? Nec illud etiam dixerit Christianus; alioqui jam tollerentur *mysteria*, quorum ea est natura, ut intelligentiam humanam omninò superent.

Rationem hanc sic eleganter exponit Archiepiscopus Lugdunensis in percelebri de Religione Documento Pastoralis : *Pour assurer qu'il y a contradiction dans nos mysteres , il faudroit voir clairement l'incompatibilité des termes qui les constituent ; avoir de ces termes des idées distinctes et complètes : pour en avoir ces idées , il faudroit que l'esprit abaissât les objets jusqu'à son niveau , ou qu'il s'élevât jusqu'à la région où ils sont placés : or , qui osera prétendre avoir sur chaque mystere des nations assez claires , assez parfaites pour en connoître le fond et le rapport ! Ceux qui jugent que des idées renfermées dans nos mysteres , sont insociables et incompatibles , jugent donc de ce qu'ils ne voient pas , de ce qu'ils ne connoissent pas ; ils abusent donc de leur raison , sous le vain prétexte d'en conserver l'usage. ( pag. 137. édit. in-4<sup>o</sup>.)*

Obj. 3<sup>o</sup>. *Mysteria sunt prorsus inutilia , et sufficienti dogmata quæ ad mores informandos pertinent ; ergo rejicienda sunt mysteria.*

Resp. Neg. aut. 1<sup>o</sup>. enim quædam mysteria fuisse à Deo revelata constat ex sacris Codicibus , quorum autoritatem vindicabimus : atqui eo ipso quod fuerint à Deo manifestata , non possunt absque impietate tanquam inutilia rejici : Deus enim summè sapiens nihil frustrâ , et sine certo consilio agit , licèt illud aliquando nos lateat. *Nam vias Domini quis investigavit , aut quis consiliarius ejus fuit ! ( Rom. II. 34. )* Nonnullæ tamen afferri possunt rationes , propter quas Deus mysteria quædam nobis revelata voluerit. Tales sunt eæ quas supra exposuimus.

2<sup>o</sup>. *Mysteria videntur veræ Religionis appendices : cum enim Deus sit à nostris sensibus longissimè remotus , et lucem habitat inaccessam , fieri non potest ut vera Religio multa non contineat , quæ mentis nostræ aciem fugiant. Quinimò non ea tantum quæ ex sola Revelatione cognoscimus , intelligentiam nostram superant , sed etiam multa alia quæ ipsa ratio docet.*

3<sup>o</sup>. *Mysteria morali disciplinæ plus minùsve sunt illigata. Numquid Filii Dei , v. g. Incarnatio , mors acerbissima , Resurrectio , etc. sterilem in nobis parere debent admirationem ! Earum revelatio nonne legem imponit Christum Dominum plus ceteris omnibus diligendi ? Nonne vividos acerrimosque grati animi sensus in nobis excitare debet ! Denique sine mysteriorum revelatione multa nos prorsus laterent , quorum cognitio nobis maximi est momenti ; quales sunt prima hominis conditio ; ipsius in Adamo lapsus , à primigeniaque dignitate eversio ; hominis per Adamum perditæ restitutio et reparatio per Christum. Quis verò horum omnium notitiam dixerit inutilem ! Quamvis autem nulla nobis comperta esset ratio , propter quam Deus mysteria quædam nobis revelavit , nihilominus ipsis assensum et obsequium denegare nefas esset , propter summam Dei revelantis autoritatem.*

Inst. *Mysteria vocibus exprimuntur sensu vacuis , et quibus nullæ subjiciuntur idææ : sic in ista propositione , quæ mysterium Trinitatis enuntiat ; Tres sunt Personæ in unica Dei substantia , mera audiuntur verba , prætereaque nihil : atqui hujusmodi Mysteria sunt prorsus inutilia ; ergo , etc.*

Resp. Neg. maj. *Exprimuntur quidem mysteria verbis quæ claram rerum notionem non exhibent ; alioquin evanesceret mysterium. Sed inde temerè , ne dicam impiè , concluderetur verba hæc meros esse sonos , omni sensu vacuos , qui nullam prorsus cognitionem animo ingerant : innumeræ enim sunt voces , quæ omnibus in scientiis usurpari solent , quibus non illigatur clara rerum notio ; quales sunt istæ , vis motrix , gravitas , materia electrica , materia magnetica. Porro , licèt prædictæ voces perspicuam rerum notitiam sibi adjunctam non habeant , multa tamen de vi motrice , de gravitate , de materia sive electrica , sive magnetica demonstrantur ; pariter , quamvis obscuræ sint*

mysteriorum notiones, multa tamen de iis enun-  
tiantur, quibus fidem dare possumus, imò debe-  
mus, positâ revelatione: sic, exemp. gratiâ, ex  
mysterii sanctissimæ Trinitatis revelatione facile  
cognoscitur in Deo unicam esse naturam, tres  
verò Personas, licet quo pacto illud fiat, cogita-  
tione assequi non possumus.

## CAPUT II.

## De Revelationis necessitate.

**R**EVELATIONIS necessitas sub duplici respectu  
considerari potest; 1<sup>o</sup>. scilicet quoad germanam  
Dei ipsiusque perfectionum cognitionem, et offi-  
ciorum quæ nobis Lege naturali imposita sunt,  
erga Deum, nosmetipsos, et alios homines;  
2<sup>o</sup>. quoad plurimarum veritatum notitiam, quas,  
licet supra idearum naturalium ordinem positas,  
cognoscere hominum permagni interest. Quid  
enim homini necessarium magis, quàm scire 1<sup>o</sup>.  
quænam sit genuina ipsius natura, quâ ex origine  
prodierit, quis finis ultimus ad quem destinatus  
sit; 2<sup>o</sup>. quonam ex fonte fluxerit ipsius corrup-  
tela, et proinde luctuosa hæc miseriarum cohors  
quæ terris incubuit; 3<sup>o</sup>. quem cultum Deo exhi-  
beri oporteat, ad eum, ut par est, honorandum,  
exarmandamque infinitam ipsius justitiam; 4<sup>o</sup>.  
quænam certæ sint viæ, quibus in gratiam  
cum Deo redire, et peccatorum veniam impe-  
trare possit. Horum autem omnium cognitionem,  
humanæ rationi sibi permixtæ imperviam esse,  
probant steriles et incertæ veterum Philosopho-  
rum conjectationes. Itaque sit sequens Propositio.

## PROPOSITIO I.

*Ad obtinendam accuratam tum Dei, tum officiorum  
quæ nobis imponit Lex naturalis, cognitionem,  
revelatio erat homini moraliter necessaria.*

Prob. 1<sup>a</sup>. pars. Per accuratam Dei cognitionem  
hic eam intelligimus, quæ nullum admistum ha-  
beat errorem, quo deturpetur pura et sublimis  
supremi numinis notio, natura scilicet, ut ait  
Cicero; omnium quæ excogitari possunt optima et  
præstantissima. (Lib. 1. de natura Deorum, n. 28.  
et lib. 2. n. 17.) Atqui contendimus ad compa-  
randam hujusmodi cognitionem, hominibus mor-  
aliter necessariam fuisse revelationem. Quid enim  
in ea re valeat humana ratio, prout nunc se habet,  
aliter æstimari non potest, quàm ex constanti et  
universali temporum experientiâ, quæ Evangelii  
promulgationem præcesserunt: atqui testatur hæc  
experientiâ, rationem humanam absque revela-  
tionis beneficio non posse ad sinceram Dei no-  
tionem assurgere. Non solum enim populi cultis-  
simi, verum etiam insigniores Philosophi, circa  
genuinam Dei notionem turpiter erraverunt.

1<sup>o</sup>. Quidem populi litteris, artibus, et scientiis  
maximè perpoliti, quales fuerunt Ægyptii,  
Græci et Romani, quibus defuit revelationis lu-  
men. Apud illos enim veri Dei loco, sol, luna,  
sidera, et aliæ res inanimmæ, quasi totidem nu-  
mina colebantur; sua etiam vilissimis animalibus  
erant templa; scelera et flagitia publicâ Religione  
consecrabantur, ebrietas sub Bacchi, impudicitia  
sub Veneris, furtum sub Mercurii nominibus;  
Jupiter ipse quem Deorum maximum vocitabant,  
adulteriis et incestibus fuit famosus; ergo 1<sup>o</sup>. gen-  
tes, vel cultissimæ, Dei notionem maximè  
corruperant.

2<sup>o</sup>. Ipsimet Philosophi antiquitatis præstantio-  
res circa Dei naturam turpissimos in errores pro-

lapsi sunt. Thales enim aquam veluti rerum omnium principium admittit, Anaximenes aërem, Pythagoras ejusque discipuli materiam sui motricem, animamque universalem; Leucippus, Epicurus, Democritus, atomos æternas fortuitumque casum, Plato modò Ens unicum, modò animam quandam universalem. Stoici Deum suâ prescientiâ, suâque providentiâ fraudabant; plerique necessitatem ferream et ineluctabilem Deo ceterisque rebus imposuerunt: quantum verò insanis illis erroribus deturpetur divinitatis natura, nemo est qui non videat. De numinis notione quàm variæ et pugnantes fuerint veterum Philosophorum sententiæ, patet ex istis Tullii verbis: *Qui Deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias.* Deinde addit inter Philosophos præsertim certari, *utrum nihil agant, (Dii) nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent; an contra ab his et à principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur.* (Lib. 1. de nat. Deor. n. 1.)

Prob. 2<sup>a</sup>. pars. 1<sup>o</sup>. Quia populi vel cultissimi, et ipsimet Philosophi circâ gravissima Legis naturalis præcepta errârunt. Multa enim apud gentes, etiam politiores, licita putabantur quæ pugnant cum jure naturali. Sic licitum erat apud Persas proprias matres ducere uxores; apud Heliopolim in Ægypto mulieribus uti promiscuè; apud Hircanos feris dilaniandos obicere patres ex quibus vitam traxerant; apud Græcos et Romanos ferilibus gladiatorum spectaculis oculos pascere, et liberos ob aliquam deformitatem interimere: atqui hæc omnia, juxta communem sentiendi modum, prohibet Lex naturalis; ergo, etc.

Circâ gravissima quædam Legis naturalis officia non minus cæcutiebant Philosophi vel insigniores. Ut enim de Epicureis aliisque dissolutioribus Philosophis taceam, Plato, divinus ipse Plato, mu-

lierum communitatem, conjugia inter fratres et sorores, non improbat; nudos utriusque sexûs homines digladiari præcipit, ebrietatem in Bacchi festis præcipit. (de Rep. lib. 5. de Leg. lib. 6.) Aristoteles turpes, et lascivas deorum imagines approbat, barbaram infantum qui deformes erant occisionem licitam facit. Hæc omnia quantum à Lege naturali aliena sint, nemo non intelligit; ergo 1<sup>o</sup>. gentes etiam politæ, et Philosophi antiquitatis præstantissimi, circâ gravissima juris naturalis præcepta errârunt. Si ergo famosi illi generis humani præceptores in tanti momenti officiis caligaverint, quis inficietur rudes et imperitos, qui maximam hominum partem efficiunt, revelationis subsidio summoperè indignisse?

Prob. 2<sup>o</sup>. Ex eo quòd, sublata revelatione divinâ, desit autoritas in proponenda morum disciplina. Quantumvis enim laudabiles videantur Philosophi cujusdam præceptiones, erroris tamen periculo est obnoxius, illiusque placita non sunt instar regulæ cui se subicere alii teneantur. Esto egregiè subtiliterque disserat, præcæta nihilominus ipsius ratiocinia non erunt, nisi verba hominis. In libero proinde opinionum conflictu, suam quisque anteferet; utrinque pari jure certabitur, in rebusque tantisper dubiis, eam quisque pro suo libitu partem amplectetur, quæ sibi magis arriserit. Idcirco veterum Philosophorum documenta, defectu sufficientis autoritatis, nullam vim habuisse dicit Lactantius. *Nihilne, inquit, illi verisimile præcipiunt! imò permulta, et ad verum frequenter accedunt: sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, et autoritate majori, id est, divinâ illâ carent. Nemo igitur credit, quia iam se hominem putat esse qui audit, quàm esse ille qui præcipit.* (Lib. 3. cap. 27.) Unde sic notat D. Lock. *Zénon avoit-il le droit de faire des Loix au genre humain? S'il ne l'avoit pas, tout ce que lui ou quelqu'autre Philosophe pouvoit dire, n'étoit compté que pour le sentiment d'un*

simple homme, que les autres peuvent recevoir ou rejeter : autrement il faudroit admettre également tout ce qu'a enseigné ce Philosophe. (Christianisme raisonnable, tom. 1. chap. 14.)

Ubi verò Deus loquitur et aliquid revelat, illud fixum, ratum et decretorium est. Tantæ majestatis autoritas animi nostri levitatem cohibet et sistit, quamvis rei quæ revelatur aliquid inhæreat obscuritatis. Inde sic concludit Lock : *A l'égard de la plus grande partie des hommes, il est sans doute beaucoup plus sûr et plus court, qu'une personne envoyée de Dieu avec des preuves sensibles de sa mission, vienne à eux en qualité de Roi et de Législateur, pour les instruire de leurs devoirs, et leur recommander de les remplir, que de se remettre de ce soir-là sur des raisonnemens d'une longue discussion, et souvent fort embarrassés.* (Ibid.)

#### Solvuntur objecta.

Obijcies 1<sup>o</sup>. Quod à Deo concessum est homini, ut legis naturalis præcepta cognosceret, ad ea detegenda non indiget Revelatione : atqui ratio homini à Deo concessa est, ut eâ duce, etc. ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Quod à Deo, etc. si integrum sit, conc. maj. : si peccato corruptum fuerit, neg. maj. Dist. pariter min. atqui ratio, etc. sed peccato corrupta est, conc. min. sc̄chs, neg. min.

Itaque ratio duplici in statu spectari potest, scilicet quatenus integra, et Adamo innocenti indita; et quatenus est in homine lapsa corrupta, et præjudiciis impedita. Fatemur quidem rationem sanam, qualis in homine innocente vigeat, ad detegenda omnia legis naturalis præcepta, absque novâ revelatione, aptissimam fuisse. Sed longè aliter se habet ratio in homine lapsa; infirma est, variis præjudiciis et cupiditatibus obnubilata, innumerisque erroribus obnoxia. Non mirum est igitur, eam sine Revelationis subsidio illis veritatibus detegendis imparem esse, quas assequi

facile poterat, cum esset integra. Quid inde concludendum est, nisi hominem eo statu excidisse, in quo primum conditus fuerat! Nam, juxta Deistas, ratio homini à Deo insita sufficere debuit, ut omnia sua cognosceret officia : atqui testatur generis humani historia, rationem tanto operi non esse accommodatam; fateantur ergo necesse est Deistæ, hominem de statu perfectiori dejectum fuisse.

Obj. 2<sup>o</sup>. Tam possunt semperque potuerunt homines, solâ rationis ope, omnia legis naturalis officia detegere, quàm hodierni Deistæ qui Revelationem non admittunt; atqui hodierni Deistæ, etc. ergo, etc.

Resp. Neg. min. quæ duplici sub respectu falsa est. 1<sup>o</sup>. Non ex ratione solâ, sed etiam ex Revelatione quam ingrati rejiciunt, suam legis naturalis cognitionem hausere nostrates Deistæ. Revelationis enim lux splendida densas Paganismæ tenebras depulit, scopum ad quem dirigenda est ratio indigitavit, legisque naturalis præcepta splendidiorem in lucem eduxit. Nunc igitur, prælucente Revelatione, multò facilius est legis naturalis principia detegere, quàm caliginosis illis temporibus, in quibus ratio sibi permittebatur, variisque præjudiciis erat impedita; quod adeo verum est, ut quâ proportionem aliquo in loco efflorescit Religio Christiana, eadem proportionem Philosophia certius et clarius sincera morum principia edoceat, in quibus cæcutiebat Veterum ratio. Perlustra animo eas regiones, quibus Christianæ Religionis lumen nondum illuxit, et tibi manifestum erit, infelices harum regionum incollas, in densissimis ignorantiae tenebris, luctuosaque morum corruptelâ versari. Ingrati igitur animi vitio peccant Deistæ, qui conviciis Revelationem lacessunt, cui tamen acceptam referre debent eam cognitionem claram, quam habent de plurimis legis naturalis præceptis.

Enimverò quando res aliqua nobis cognita est, jam intellectu facilis nobis videtur, eamque à nobis sine ullius subsidio detegendam fuisse credimus. Illà, tanquam bono nobis proprio, fruimur, quamvis non fuerit nostræ industriæ opus. Sic viator qui per vias publicas iter promptus facit, sibi de nervosis pedibus gratulatur, suamque diligentiam bonæ corporis constitutioni attribuit. Vix attendit quantum iis debeat, qui succis arboribus, siccatis paludibus, extractis pontibus, iter fecere commodum. Alioqui viator noster plurimum desudans, parùm processisset. Sic multæ sunt veritates, quæ nobis sub lege Evangelicâ, vel ab incunabulis, ita fuerunt inculcatæ, ut earum notiones nobis familiares evaserint et, ut ita dicam, naturales; inde fit ut earum notitia et demonstratio in promptu nobis videatur; nec consideramus eas veritates à nobis diu vel ignorari, vel in dubium revocari potuisse, si revelatæ non fuissent. Plurima igitur sunt, quorum cognitionem nostrates Deistæ revelationi debent, quam ingrati rejiciunt. Quapropter eos ingeniosè dicit *La Bruyere*, his infantibus similes qui, postquam ex optinno lacte quem traxerunt, vegeti et robusti evaserunt, suas nutrices percutiunt.

2°. Nedùm ea omnia cognoscant Deistæ, quæ ad legem naturalem pertinent; imò alii cultum externum rejiciunt, alii internum, alii omnia habent perinde licita, alii negant virtutis et vitii discrimen, alii divinam providentiã, etc.

Obj. 3°. Si Revelatione tantoperè omnes homines indigeant, illa universalis esse deberet: atqui nulla Revelatio est universalis; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Cùm enim Deus in distribuendis suis beneficiis sit prorsus liber, sua judicia, ubi, quando, quomodò et quibus vult, manifestat, dum alios suis permittit tenebris.

Quod autem Deus eas cœlesti lumine non depellat, hominis vitio tribuendum est. Quamvis

enim gratia quæ animos illustrat, homini sit indèbita, et gratuitum divinæ misericordiæ donum, hanc tamen Deus iis nunquam denegat, qui nullum suã culpã opponunt obicem; ut *innotescat quod latebat*, inquit Augustinus, . . . *Gratiæ Dei est, quã ut non adjuventur homines, in ipsis causa est, non in Deo, Deus semper paratus est dare lucem suam nobis; . . . sed nos non semper parati sumus accipere: . . . cùm rerum temporalium cupiditate tenebramur.* (2. de peccat. merit. et remiss. cap. 17. n. 26. et lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 3. n. 14.)

Denique, cùm sic disputant malè cauti Deistæ, non attendunt suum in ipsos retorqueri posse argumentum; non diffitentur enim omnibus necessarium esse, ut Deum verum cognoscant: atqui tamen Deus occultissimo, sed justo consilio, permittit ut homines plurimi verum Deum ignorent.

Obj. 4°. Si ratio humana in præsentì statu non satis idonea sit, ad genuinam tum Dei, tum quorundam officiorum quæ à lege naturali nobis imposita sunt, cognitionem acquirendam, sequitur invictè ignorari posse legis naturalis præcepta: atqui tamen id falsum est; ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Ideò quippè humana ratio in præsentì statu ad comparandas prædictas notiones satis virium non habet, quia præjudiciis et cupiditatibus, quæ ex ipsa voluntate nascuntur, obnubilata est ac impedita: atqui immeritò prorsus invincibilis diceretur ignorantia, quæ suam ex voluntatis pravitate ducit originem; hujusmodi enim ignorantiam nobis vitioque nostro imputare debemus.

### PROPOSITIO II.

*Homini absolutè necessaria est revelatio, ut plurimã cognoscat, quorum notitia summoperè illius interest.*

Prob. 1°. Hominis magnoperè interest cognoscere, quanam fuerit tot miseriarum quibus con-



fluctatur causa et origo. Enim verò deploranda est hominis conditio. Si corpus spectes, morbis vexatur innumeris. Si mentem inspicias, tenebris obnubilatur densissimis, et intestino perpetuoque bello inquietatur. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*, ut ait Apostolus, et quisque sibi conscius est. Præterea inter hominis dotes quanta deprehenditur oppositio! hinc præclara mentis elatio, et nobilis impetus quo versùs æternam summamque beatitudinem rapitur, illinc indecòra et turpis abjectio, quâ suam vilissimis in rebus felicitatem constituit. Hinc immensa veri cognoscendi cupido, illinc perpetuum ferè erroris ludibrium. Hinc virtutem approbat, illinc vitium prosequitur. Ea de re videas egregium hominis pictorem. D. Pascal: (*Pensées, chap. 3 et 21.*) Atqui tot miseriarum quænam fuerit causa; quomodò possint in eodem homine conciliari dotes adeò discordes, ænigma est soli rationi prorsùs inextricabile. Id patet ex portentosis systematibus, quæ Veteres excogitârunt, ut nodum istum solverent. Illud maximè receptum fuit, quo fingitur duo principia, alterum boni, alterum mali autorem, suas in hominis creatione partes habuisse: atqui absurdam esse hanc hypothèsim in Metaphysica exposuimus.

Occultissimum illud arcanum sola Revelatio nobis aperuit. Hinc enim docet primum hominem è sui Creatoris manibus exeuntem, maximâ naturæ excellenti, integritate et gloria fuisse ornatam; illinc nos certiores facit hunc generis humani parentem, Dei erga se tam liberalis mandatam per summum nefas violando, propter suam rebellionem è beatissimo illo statu excidisse, communemque in ruinam suos omnes posteros traxisse; ita ut ad singulos ipsius corruptela et infortunium funestâ quâdam hereditate permanerint; atqui præmissâ illâ revelationis face, depèlluntur tenebræ quæ præsentem hominis conditionem invol-

vebant, et quas discutere non potuerunt præstantiora antiquitatis ingenia. Nunc facile est cognoscere, cur in homine tanta excellentia cum tantâ infirmitate, summa dignitas cum summa abjectione jungatur. Qua de re audiamus Lugdunensem Archiepiscopum in percelebri de Religione Documento Pastoralis. (*pag. 61 et 62. è dit. in-4<sup>o</sup>.*)

*Tout s'éclaircit dès que nous savons que l'état présent de l'homme n'est pas celui où Dieu l'avait créé, et que cette triste dégradation est la peine de sa désobéissance. Nous ne sommes plus étonnés de voir dans la misère un sujet rebelle et disgracié: nous ne trouvons plus de contrariété dans l'ouvrage de Dieu: nous en voyons seulement entre ce qui reste de ce grand ouvrage, et les changemens que l'homme y a faits: nous savons d'où viennent son élévation et sa bassesse; et pendant que nous admirons en lui les précieux débris de sa première grandeur, nous versons des larmes sur les ruines d'un édifice si magnifique. Il est vrai que la manière dont le péché du premier homme a infecté sa postérité, est un mystère qui surpasse notre intelligence. Mais moins l'esprit humain découvre par quelle justice ses descendans sont coupables, avant qu'ils fassent usage de leur liberté, plus nous devons être convaincus qu'une vérité si profonde n'a pu avoir d'autre source que la révélation, ni trouver de créance sur la terre, que parce que les preuves de cette révélation étoient manifestes.*

**Prob. 2<sup>o</sup>.** Demonstrare quidem potest ratio naturalis, Deo externum quemdam cultum deberi; at cultus quem sibi Deus velit exhiberi, speciem et naturam definere citrà Revelationem non potest: id enim à libera Dei voluntate pendet, quam, nisi ipse manifestet, scrutari, non possumus. Hinc Plato revelationis beneficium quasi præsentiens, postquam exposuit pietatem esse rerum omnium maximè optandam, et utilissimum fore in quo consistat discere, si præstò esset idoneus magister, statim addit: *Quis autem illud edocere queat, nisi*

*Deum habeat ducem* (In Epinomide) idem in Dialogo cui titulus; *Secundus Alcibiades*, Socratem inducit dicentem homines pios et sapientes eos esse, qui norunt quid dicere et facere oporteat, tum erga Deos, tum erga homines. Quod autem ad Deos spectat, fatetur ignorare hominem quid ipsis gratum sit. Unde concludit *tutius esse expectare, donec aliquem Divinitas mittere dignetur, ut nos edoceat*. Veteres igitur Philosophi ab hodiernis Deistis longè dissimiles, nedùm revelationem spernerent tanquam inutilem, eam contrà maximè optabant, rati scilicèt non aliter posse homines cognoscere, quem cultum sibi adhiberi velit supremum numen.

Veteribus ita persuasum fuit à Deo descendum esse, quomodò colendus sit, ut qui novam Religionem voluerunt inducere, ii ferè omnes quasdam obtenderint revelationes. Minos, v. g. profitebatur suas leges ab ipso Jove accepisse, Lycurgus ab Apolline, Zaleucus à Minerva, Numa à Nympha Egeria. Socrates, ut suis placitis auctoritatem conciliaret, à bono Dæmone afflatum se dicebat. Quamvis spuris et fictis sint hujusmodi revelationes, probant tamen id Legislatoribus certum fuisse, nullam absque revelatione consistere posse Religionem. Veras autem revelationes à falsis discernere necesse est. Quà discerni queant hæc insignis nota est, ut scilicèt qui Dei et illius voluntatis se nuntios prædicant, vera et indubitata suæ missionis afferant argumenta. Nulum enim Deus unquam ministrum ad homines misit, ut novas ipsis revelationes nuntiaret, quem manifestis suæ potentis signis non instruxerit, sive ea fuerint miracula, sive prophetiæ, ut postea dicturi sumus.

Prob. 3°. Nihil homini magis est necessarium, quam certas cognoscere vias, quibus in gratiam cum Deo redire, et peccatorum veniam obtinere possit: atqui ad impetrandum illud beneficium quid

agere oporteat, solâ revelatione nobis innotescere potest. Dubitare quidem non permittit ratio, quin peccatores simus, divinæque vindictæ obnoxii: at exploratum non habet an sola criminum pœnitentia (*repentir*) sufficiat ad extorquendam à supremo numine peccatorum remissionem. Solus enim Deus certam nobis aperire potest viam cum eo nos reconciliandi. Id quippè à libero ipsius decreto pendet, quod sine revelatione pernoscere non valet humana ratio.

Illud argumentum sic adhibet D. Clarke: *Comment saura-t-on avec certitude, que Dieu est disposé à recevoir en grace les pécheurs qui retournent vers lui, et qu'il acceptera leur repentance, à moins que Dieu lui-même n'ait déclaré expressément que telle est sa volonté. On n'a aucune espérance certaine, que cela seul puisse suffire. La nature ne dit pas si Dieu, pour venger l'outrage fait à ses Loix, pour soutenir l'honneur de son gouvernement, et pour témoigner à quel point il est irrité contre le péché, n'exigera pas quelque chose de plus, avant que de rétablir l'homme dans les privilèges qu'il a perdus. Car il n'y a aucun des attributs de Dieu, qui prouve positivement que Dieu soit obligé de pardonner à un pécheur repentant, uniquement en vertu de sa repentance. La nature seule n'est donc pas capable de calmer les agitations et les doutes de l'homme pécheur, sur les moyens d'appaiser la Divinité offensée. (Traité de l'existence de Dieu, etc. Tom. 2. chap. 10.)*

